cum eâ quæ nunc placet mihi cautione contendemus.
de Partibus intermediis non sum sollicitus. Sufficiet Bas-
sum subscribas Italorum more, quo, ni fallar, de
autorum mente constare canenti abundè potest.
Vale vir amice atque ama me. Hagæ Com:
X. Cal: Febr: CIƆIƆCXL

Tuus.
C. H:

Memineris rogo, cum rescriptorum
tuorum authentica quæque exemplaria
in Galliam misero, novis me eorundem
exemplis instruendum esse, per otium
quidem amanuensis tui, cujus tibi in
his rebus industriam tantum non invideo.
Perpetuò mihi Mersennus instat, ut vel
opus tuum, vel promissum ejus compendium
urget. quid respondebo?

Bannio. Amplissime Banni (298)

Tantam mihi occupationum impendere nubem præ-
video versus Lunæ et Martis diem, quos mihi desti-
nasse videris, ut monere te invitus cogar, ne istius
itineris molestiam frustrà adeas. De reliquâ septi-
manâ, ut nihil statuere possim, cum ut nosti,
planè non sim αὐτεξούσιος, aliquanto plus otij mihi
tibique et Musis polliceri audeo. Te autem valere
jubeo, cæteris omnibus in congressum dilatis. Scribo
raptim. Hagæ Com: 2. Febr: CIƆIƆCXLI.

Tuus.
C. H:

Graswinkelio. (299)

In Catilinam tuum, vir Nobilissime, stupendæ lectio-
nis et judicii opus, hos mihi versiculos expressit
Trucis compunctio veri. Testor te et amicitiam
nostram, non eo consilio, ut ineptiis meis frontem
libri dehonestes. sed privatim tibi ut constet, quanti
et virtutes tuas faciam, et infinitam eruditionem.
Staeckmannum quoque, quia sic jussisti, pro modulo
parentavi. Rogo ut cognomini tamen, quod mihi
excidit, præscribas, et interpellantem boni consulas
quia.
13. Febr. 1641.

Tuum.
C. H:

Bannio. Amplissime Domine (300)

Fecere primum occupationes meæ, quas nunquam vane
prætexo, mox vehemens Catarrhus, qui per aurem
lævam